Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8340
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek



finabat fundum. Librabat fontes aquarum. quando confirmabat mare finitimum suum. Legem ponebat aquis ne transirent fines suos. Quando appendebat fundamenta terre. Cum eo eram cuncta componens. Delectabar singulos dies ludens coram eo omni tempore. Ludens in orbe terrarum. Deliciae mee esse cum filiis hominum. Nunc ergo filii audite me. Beati qui custodiunt vias meas. Audite disciplinam. Estote sapientes. Nolite abicere eam. Beatus homo qui audit me. qui vigilat ad fores meas quotidie. Observat ad postes ostii mei. Qui me inuenerit inueniet vitam. Hauriet salutem a domino.

Liber generationis ihu x. Initium s. Euangelii secundum Matheum. Filii dauid filii abraham. Abraham genuit ysaac. ysaac autem genuit iacob. Iacob autem genuit iudam. Fratres eius. Iudas autem genuit phares. Zara de thamar. Phares autem genuit esron. esron autem genuit aram. Aram autem genuit aminadab. aminadab autem genuit naason. Naason autem genuit salmon. Salmon autem genuit boz de rahab. Boz autem genuit obed ex ruth. obed autem genuit yesse. Yesse autem genuit dauid regem. Dauid autem rex genuit salomonem ex ea que fuit urie. Salomon autem genuit roboam. roboam autem genuit abya. Abya autem genuit asa. Asa autem genuit iosaphat. Iosaphat autem genuit ioram. ioram autem genuit oziam. Ozias autem genuit ioatham. ioatham autem genuit achaz. Achaz autem genuit ezechiam. ezechias autem genuit manassen. Manasses autem genuit amon. amon autem genuit iosiam. Iosias autem genuit iechoniam fratres eius in transmigratione babylonis. Et post